



~~S~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

II-14

SIGNAT. cIoi CCCXIII.

Dissert. theol. Vol. 28
einzeln verzeffelt 19. II. 1915



xxv
24

I. N. J. DUCTUS VERITATIS,

Ad

*Declarandam incessantem di-
vinæ gratiæ invitationem,*

Dum in via est peccator, respiratqve.

SUB PRÆSIDIO

D. PHILIPPI LUDOVICI
HANNEKENII,

Profess. & Consist. Elect. Assessoris

DISPUTATIONE INAUGURALI

AD

IMPETRANDOS HONORES ACADEMICOS

IN THEOLOGIA SUMMOS

In Cathedram producti & defensi

A

DAVIDE ANDR. TEVERLEIN,

Alteburg. Misnico.

Pastor. Primar. Eccles. Caloviensis Inf. Lusat.

& Schol. Inspectore.

Die d. XI. Oct. M DCC.

Recusa.

¶

complet. I



I. N. J.
PRÆFATIO.



Ucimur veritate revelati verbi in via salutis ; vestigia ejus serio respicienda sunt , regulis infallibilis profectionis in cœlum p̄a monstrata , qvibus observatis, inoffenso pede, dum peregrinamur hic, ceu carceribus sanctis immissi deambulemus, viamque propositam feliciter decurramus. *Paulus Gal VI.16. Phil. III.16. I. Thess. I, 5. πληροφερειν* fidei nostræ juxta veritatis canonem vult directum, ut ita incedentes non timeamus lapsum. Doctrina de gratia Dei circa peccatorem ad plenitudinem eam confidentiæ nostræ maxime pertinet, qvam certis regulis , ceu ductibus non fallentis veritatis, explicatam, Eph. V, 15. contubimur,

A

&

& ut vestigia tenendæ fidei, I. Cor. IV, 16. in exempla Apostolorum Phil. III, 17. omniumq;e fidelium ituri amplectemur. Dirigat nos verbo suo Spiritus gratiæ per Jesum Christum.

REGULA I.

Deus per intercessionem meritumq;e proprii Filii omnium est serio misertus hominum peccatorum, expromittentis vadimonium, & abundantissimum redemptionis pretium, qvæ satisfactio plenissima audit, ne qvid interpellare posset justitiae sanctitas adversus peccatorem.

Justitia divina non poterat dimittere peccatorem, qvi violata legis sanctitate Deum offenderat creatorum suum, obnoxium adeo pœnæ & æternæ morti, qvam comminatus præmonstraverat Sanctissimus Legislator Gen. II, 17. Postulante justitia & decernente, ut custode sanctitatis, Angeli, originis formam domumq;e proterve relinquentes, in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine absq;e omni misericordia reservantur, Epist. Judæ v. 6. Thronos Filii Dei petitus ab apostata spiritu eam vindictam majestatis reqvirebat, Es. XIV, 12. qvam toto gratiæ regno Christus ostendit adversus beligerantem draconem, donec cum sua caterna in æternum

num ignem projiciatur. Apoc. XII, 7. Intercedens autem Filius pro seducto homine, vademque se sistens, carne lapsi in se suscepit, legi pro homine satisfacere, sanctitate vitae & victimali morte recepit. Inde diducta misericordiae ex sinu Patris in hominem viscera, meram gratiam ad reparandum amissae integratatis bonum, aspiraverunt; ut nullus hominum ad iram nunc constitutus dici possit, sed ad salutem per Dominum Jesum Christum, pro nobis mortuum obtinendam, 1. Thes. V, 9. 10. erga omnem hominem toto gratia regno insonat: Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputando illis peccata ipsorum, posuitque in nobis sermonem hunc reconciliationis. Igitur nomine Christi legatione fungimur, velut Deo vos precante (quanta haec misericordiae gratia!) per nos oramus Christi nomine, reconciliamini Deo; fecit enim eum, qui non novit peccatum, pro nobis peccatum, ut nos efficiemur iustitia Dei in ipso 2. Cor. V, 18. seqq. Huic regulae qui adversantur, eamve ignorant, non possunt gratiae divinae ad salutem esse compotes; Judai, Muhammadani, Ethnici, Naturalistae, Sociniani, Arminiani, &c.

REG. II.

INde omnium hominum salutem serio & locupletissima gratia curat, nec quenquam vult perire, sed omnes salvos fieri veritatis agnitione.

Agnitio veritatis, seu fidelis ejus receptio avertit poenam, & donat salutem. Veritas est praedicatio gratiae salutaris, σωτηρίας, quae apparuit omnibus hominibus Tit. II, II, 12. quia omnes vult salves homines Deus, nec

pērire q̄enq̄vam I. Tim. II, 4. seqq. *Unus enim est Deus, & unus Mediatur Dei & hominum, Homo Jesus Christus, q̄vi semetipsum dedit preium redēptionis pro omnibus, ut testimonium hoc suis temporib⁹ propalaretur.* Nec excluditur hic quisquam, cūm omnibus sub incredulitate redēptionis grātia offeratur, nec discriminē sit inter Judæūm & Gentilem, inter fidelem & infidelem, q̄vod attinet gratiam aeq̄uisitā redēptionis, cum fideli ab infideli fidei grātia, seu receptione redēptionis grātiosā distingvatur, Gal. III. 13. *Benedictio Abrahæ & ad Gentes extenditur; neq̄ve enim lex data est, quæ posset vivificare; conclusit autē Scriptura omnia sub peccatum incredulitatis, ut omnium miseretur Rom. V, 21. 22. XI, 32.* Lex adeo exclusa est, cūm operibus, licet per fidem operantis, à grātia salutari. Ex operibus legis non accipitur Spiritus filiationis, & futuræ hæreditatis; sed per fidem receptæ prædicationis, ἐξ ἀνον̄ς πιστεως Gal. III, 2. Conf. Joh. I, 29. III, 16. I. Joh. II, 2. &c.

Respicit regula totum acquisitā grātiae ejusque regni tempus, durante propalatione ejus, a prædicato post lapsum parentum semine benedicto, usq̄ve ad finem cum mundo finientium seculorum, quo Judex universi, dum adventum eum prænunciat, omnibus & singulis fidem offert, denunciando omnibus ubique pœnitentiam, Act. XVII, 30.

Impingunt hic omnes, q̄vi universalis meriti Christi grātiam faciunt particularem, & q̄vi sanctitati morum adscribunt justitiam salutemq̄ve, rejecta prorsus fide a justitiae coram Deo valentis statu, aut fidei & operum ad justificationem & salutem facta communicatione; Papistæ, Sociniani, Arminiani, Amyraldistæ, Pietistæ &c.

REG.

Voluntatem eam, curamque certa ordinatio-
ne subsidiorum, quae media dicuntur Theo-
logis, declaravit, quae observata salus peccatori
infallibili eventu donaretur.

Gratia ordinationis illius panditur in Ecclesia sinu,
prædicatione verbi, administratione Sacramentorum, &
tota diuina Spiritus, in officio ministrantium, & in fide
veritatis obedientiam præstantium. A gratia provi-
dentiae universalis est manuductio ad Ecclesiam inqui-
rendam, sed hactenus operatio salutaris, quae gratus pec-
cator Deo fiat, et coram eo justus sit, in ea non invenitur;
qua nos gratis effecit sibi gratos in dilectio Ephes. I, 6. qui spe-
ramus in Christo, audito Evangelio salutis nostra, vers. 12. 13. Ut
nugatoria sint, & non Christiana, quæ commentus est
pro salute hominum extra cognitionem Christi, solo mi-
sericordiæ divinæ intuitu viventium, Moses Amyraldus,
Salmuriensis Professor; de quo videatur B. Hülsemannus
noster de Auxiliis gratiæ p. 80. seqq. Qualem hypothesin fo-
veria Pietatis certum est, qui nuper in Hassia propalam,
in conventu Synodi docuerunt, non necessariam esse
ad tenendam viam salutis disertam de Christo cognitio-
nem: posse enim Christum & absque sui notitia operari
salutem. Amyraldus duas faciebat species Christianæ fi-
dei, unam quæ facta sit prædicatione Apostolorum, & E-
vangelii nunciorum, unde nascatur illa fides, quæ dilu-
cide cognoscat Christum Redemptorem, & per quam sit
fiducia de misericordia Dei manifestata in magno illo
Salvatore: alteram oriri ex intuitu misericordiæ, quæ

A 3

oriatur

oriatur mediante providentia Dei, et credatur sine præcedenti cognitione. Esse enim gratiam universalem, destinatam universo generi humano, propter propitiacionem Christi pro toto mundo præstitam 1. Joh. II, 2. Cui absurdo inspergitur commune id Reformatis, Deum tamen absoluta voluntate, quia sic placeat, nolle omnibus dare eam facultatem, quia oblatæ per providentiam possint gratiæ assentiri, adeoque subesse hypothesin, si possit irregenitus homo eam apprehendere. Quæ nugatoria certe sunt, insana & impia, omnem Christianam fidem evertentia. Nos gratiam salutarem tenemus in Christo agnito, & fideliter recepto; quæ enim fides sine prædicatione? quæ invocatio & salus absqve fide? Rom. X, 13. seq. Joh. I, 4. v. 12. seq.

REG. IV.

Voluntas adeo gratiæ est ordinata, in ministerio verbi, & legitimo Sacramentorum usu, quomodo excursus misericordiæ in salutem peccatoris patefit, & nisi obstacula ponantur, perfidem applicatur.

Hæc gratia fons est Ecclesiæ, cuius flumine ad finem mundi irrigatur; inde constituta in communionem, inde servanda in singulis membris in salutem. Si obstruatur aliquando malitia Satanæ & mundi, carnisque illecebris non sinatur fluere & exundare, nunquam tamen saliens scaturigo definet, habebitque sitiens semper, unde hauriat, & animam recreet. Joh. IV, 14. 1. Cor. X, 4. Ef. LV, 1. II. 13. Verbo omnibus & singulis promissiones

siones gratiæ offeruntur, Sacramentis autem singulis conferuntur. Hæc sigilla sunt gratiæ, qvibus certus debet esse peccator ad se pertinere, qvod omnibus aliis promittitur. Si baptizatus es, Christo amictus es, & merito ejus coram Deo conspicuus. Si permaneas in statu fidei cum Christo per baptismum conseptus, cum Christo resurges, & hæreditatem æterni Filii, ut cohæres, adibis. Si ore corporis in vera fide particeps factus es, carnis & sanguinis Redemptoris, resurrectionis gloriam, clarificato corpore, & ab omni peccati labe expurgata anima, reportabis Rom. VI, 3. Gal. III, 26. 1. Pet. III, 21. Joh. VI, 35. 54.

Tanta nst sigillorum illorum efficacia, tam prona & verbi & Sacamenti in peccatorem gratia, ut ad dimissam eam, & diu neglectam nunquam reditus denegetur, cui desiderium oritur serium redeundi, quotiescumque enim repeti possunt Sacraenta, toties non est neganda restitutio pœnitenti, ut porro in sequentibus videbimus.

REG. V.

Verbo legis fit manifestatio peccati, & certo venturæ vindictæ divinæ, nisi redemptionis pretium inclinata mente & vera fide assumatur. Dolet igitur peccator ex lege convictus statum suum, & incipit odisse, qvem amaverat ; compulsus inde damnationis fulmine, Evangelio prædicatum monstratumque requirit Redemptorem.

Evangelium certe est mera concio gratiæ ; non
Lex,

Lex, quæ iram & meritam pœnam ostendit. Hoc attinet oppido novisse discrimen, ne commutatis invicem officiis naturalibus, seu essentialibus ut iusque, ex Lege Evangelium, aut ex Evangelio faciamus Legem; uti accuratissime *Formula Concordiae Christianæ* p. 712. *Concio Legis* est, quicquid de peccatis nostris, & de ira Dei docet, quomodo docunque, aut quando cungid id fiat; adeo, ut ex Evangelio illustrat. & declarata, incredulitatem Evangelio persuasam arguat; p. 714. *Evangelium vero* talis est concio, quæ nihil nisi gratiam, clementiamq; Dei, atque remissionem peccatorum in Christo monstrat & exhibet. Vidantur ibi, quæ contra *Antinomos & Papistas*, illosque disputantur, qui influxum Evangelii in contritionem derivandum, dicunt esse pœnitentiam salutarem, contra quos disputavimus peculiari dissertatione de pœnitentia legali & Evangelica; quod vanum est discrimen, cum veræ pœnitentiæ & salutaris partes sint, *Contritio ex Lege, & fides ex Evangelio*. Videamus autem hic in peccatoris pœnitentia vigilarem, gratiam salutiferam non tantum, ubi principaliter talis est, ut est in prædicatione solitorum Evangelii, verum etiam, ubi ministerio Legis & officio alieno utitur, ad compellendum instar pædagogi, seu manuducendum dolentem peccatorem ad Christum Gal. III, 24. Rom. X, 4. ne agnitione peccatorum desperet, sed satisfactione abundantissima Redemptoris refocilletur, & in spem vitæ æternæ erigatur. Juvat hæc denuo ex aurea nostra Concordia illustrare, p. 710. Hec duo d' *Strina Christianæ* capitæ credimus atque profitemur, usq; ad novissimum diem sedulo convenienti tamen discrimine, in Ecclesia Dei, proponendi atque urgendi esse. Concionem enim Legis, ejusque gravissimis comminationib; in ministerio Novi Testamenti mentes impinguantium hominū perterrefaciendæ, arguimus ad veram peccatorum

rum

rum suorum agnitionem, & ad agendum pœnitentiam sunt adducenda. Id tamen non eo modo, ut propter peccata desperent, sed ut ad Christum confugiant. Lex enim pædagogus est in Christum, ut per fidem justificemur; & cum finis Legis sit Christus, non a Christo, sed ad Christum nos ducat. Quare post agnita peccata ex Lege mentes, perturbatae erigendæ sunt, ut ex Evangelii de Christo prædicatione solidam consolationem capiant, atque confirmato animo sint scientes, quod Dominus, siquidem Evangelio crediderint, omnia peccata per Christum ipsis condonet. &c. Docent Beati Confessores, I. Toto gratiæ regno usque ad diem novissimum perennare concionem pœnitentiæ, ex Dei voluntate & ordinatione. II. Nullum viatorem, regni civem, ab illo beneficio gratiæ per voluntatem Dei alienari. III. Mutuum esse Legis & Evangelij officium in tractando peccatore, ut, qui solius gratiæ ostensione nolit civitatis sanctæ institutis subjici, saltim comminationibus maledictionis æternæ adactus illis subjiciatur. Ita & in rigore Legis post Christum prædicatum excubare gratiam in salutem intendentem. IV. Ministerium Evangelii non debere ex rigore Legis quenquam a gratia remissionis arcere, sed uti debet prædicare Legem maximo peccatori, ita non terrere termino peremptorio gratiæ, sed ipsa gratia etiam in agone consolari.

REG. VI.

Scilicet fide recipitur justitia parta Redemptoris, & qua Lex pro peccatoribus est impleta sanctitate perfectissima facientis eam, & qua
 B pœna

pœna mortis fuit exantlata; ut minæ, cum morte
Redemptoris, peccatorem attinentes, evanescerent,
Et in somnum quietemque dicata mors temporalis
etiam æternam averteret.

Et fides est a gratia, qua donamur ut recipiamus,
quod Evangelium in Redemptore nobis promittit; ideo
fides veritatis audit. Thess. II, 13. & fides ex auditu Rom. X,
17. Fides in Christum & Christi, unde justitia fidei & fidei im-
putata, Rom. III. & IV. Gratia salvamur per fidem, Dei do-
num est, non ex operibus, ne quis gloriatur Eph. II, 8.9. Im-
pleto promissionum tempore Filius Dei ex muliere na-
tus Legi se subdidit, quamimpleret, non solveret, ut ob-
noxios Legi redimeret & adoptionem illorum impetra-
ret, Gal. IV, 4. Matth. III, 13. Obedientia igitur Chri-
sti & passione pro nobis exantlatà justitiam obtainemus,
seu justificamur, justitia non propria, quæ ex nobis sit,
nec quæ sit in operibus nostris, nec quæ nobis ut effectus
meriti Christi inhæreat, tanquam bonum aliquod par-
tum, quod efficaciter, vel per substantialem communica-
tionem, ut voluit Osiander, vel per effectivam sanctita-
tem, ut Papistæ, & alii, in nobis operetur. Christus scili-
cet est justitia nostra per suam obedientiam, cuius impu-
tatione per fidem justificamur, ut Abraham, Rom. IV, 3.
9.12. Christus a mortuis resurrexit propter justificatio-
nem nostram, v.25. Filius hominis in cruce exaltatus
nos trahit ad se, Joh. XII, 32. Esa. LIII, 5. Jer. XXIII, 6.
XXXIII, 16. Considerumus hic ex merito sanctissimæ vi-
tae Christi, quo Legi pro nobis satisfecit, ne quis amplius
culpa peccatorum sordidatus inveniretur, & ex merito
mortis, ne quis mortem ullam horrebet, excurrentem in
pecca-

peccatores gratiam, in qua sistitur tota emmagnia & omnipotens
salutis, quam accuratissime vult Paulus a Timotheo ob-
servari, & incessante ministerio omni peccatori proponi,
suo ostendens exemplo, qui prius fuisset blasphemus, &
persecutor, & calumniator, fidum illum sermonem, &
modis omnibus fidei pectori recipiendum condendum
que; *Quod Christus Iesus venit in mundum ad salvandos pec-
catores*; se enim ideo, ut maximum peccatorem esse mi-
sericordiam consecutum, ut Iesus Christus in ipso osten-
deret omnem longanimitatem, qua adductum redu-
ctumque cupit omnem volentem credere in ipsum ad salu-
tem æternam. In prædicatione divinæ ordinationis Paulus
Timothei militiam, ut fidi ministri, fundat declaratque, ne
quis tantæ miserationis fidem respuat peccator, ut ad se non
pertinentem, nec minister verbi cuiquam desideranti eam
præclusam judicet. Videatur totum caput i. Tim. I, & II. Per
eam fidem culpa & poena deserit peccatorem, nec remanet
in hærede vitæ metus mortis, ex morte temporali, ut ex-
placido somno, in vitam gloriosam evigilatu*ro* i. Cor. XV.
20. seqq. 2. Cor. V. 1. seqq.

REG. VII.

*C*onversum a peccato ad justitiam hominem fide
in Christum, justum prorsus, & revera habet
Deus, nec in judicio suo aliter, quam justificatum
respicit.

Vult adeo a peccati reatu lieberatum, & tegit in illo
quicquid adhuc residet macularum, & quod ante repur-
gationem animæ corporisque ultimam, per naturæ pec-
catrixis indolem, exercitiumque status fidelis absolutum,

B 2 non

non potest tolli, merito, innocentia, & sanctitate Redemptoris. Qvod imaginariam justitiam eam vocant Papistæ, imaginariæ illorum justificationi tribuendum, qvæ coram Deo sordidatus pannus est, Esa. LXIV, 6. Luc. XVII, 10. premit inutilitatem servi præstitum opus juxta regulam faciendorum: ubi recte *Vasqvetz*; cum humilitas non debeat mendatio foveri, non videtur conveniens medium ad humilitatem comparandam, dicere, servi inutiles sumus quando revera aliquid utilitatis præstamus. Qui igitur in præstito est inutilis, is non potest dici, debitum expeditisse; & quid in illo est justitiae apud judicantem accuratissimo examine judicem? Fidei autem per Christum imputata est valens illa coram Deo, perfectissima & absoluta, Rom. III, 22. seqq. qva gratis justificamur, ejus gratia, per redemptionem Jesu Christi, ut ipse justus est, justificans eum, qui est ex fide Jesu. Remissione enim peccatorum, eorumque obtectione hæc gratia constat, ut ubi peccata non imputantur, non possit non vera justitia imputata, ut propria, valere, Rom. IV, 5. seqq. &c. En gratiæ dvitias injustissimum pronunciantis justum, tegentisque, ne quid sordium justo imputetur! Nonne confidere jubentur præcellentissimi peccatores in sanctissima justitia sui Redemptoris? Ratio licet, mundus licet, imaginatio sanctitatis legalis licet aliter judicent. Falluntur igitur magno justitiae veræ damno, Papistæ, Sociniani, Arminiani, Pietistæ &c. sanctificationem inhærentem pro justitia coram Deo computantes.

REG. VIII

Justificatum vult Deus a peccatis voluntariis abstinere, in habitans malum subjugare, quotidia-

tidianas & inevitabiles, invasiones deprecari, ne
gratia filiationis elapsus rursus iræ divinæ subji-
ciatur.

Justificat Deus hominem, ut peccatis veledicat, ne
porro ipsi dominantur; sed justitiae servus factus, & liber
a peccatis dominetur eis, Rom. VI, 22. Liberati a peccato,
mancipati autem Deo habent fractum in sanctimoniam, finem
autem vitam æternam. Ratio status justi postulat domi-
nium in peccata; si enim peccatis obediatur, servitus eo-
rum recipitur, & libertas Dei amittitur; si enim secundum
carnem vixeritis, moriemini; sed si spiritu actiones corporis
mortificetis, vivetis, Rom. VII, 13. Hæc gratia conser-
vat, tueturque statum justi, ne excidat sibi & Deo. Ad-
eo mutabilis est status justi, ut nisi compositione vera fide-
li non conservetur. Et electus potest excidere statu ju-
sti, ad quem ante vitæ finem, cuius intuitu electus
est, restituitur uti gratia electi regenitus potest excidere,
quoties repetitum statum amissæ gratiæ peccatis proæ-
reticis defœdat, ut tandem procrastinatione feriæ repe-
titionis ad mortem usque æterna vindicta pereat. Ju-
stus, si fiat homicida, non habet in se manentem, quam statu
suo possidebat, ut futurus hæres, vitam æternam; I. Joh.
III, 15. Conf. Rom. XI, 20. seqq. Ezech. XVIII, 24. I. Tim.
I, 19. Ex quibus locis hæc colliguntur Porismata: Ex
olea gratiæ salutisque quosdam ramos posse defringi;
quosdam ex radice excidi; quosdam rursus inseri. Va-
nissimæ sunt exceptiones Reformatorum, Bezae, & similium
qui de falsa fidei jaëtantia illa interpretantur. statuentes
veram fidem non posse amitti, nec posse verejustum re-
genitumque non esse non electum. Qvæ contradic-
to

gratiam status justi convellit , tum securitatem carnis in-
gerendo , tum alienando confidentiam status quæ sensu
electionis non degustatur , utili censem , sed persuatione
gratiæ in omnem peccatorem ejusque statum verbo &
factis exundante , Rom. VIII, 8. seqq. 38. seqq. Nemo
potest nos separare a dilectione Dei , qua ipse nos diligit,
nisi nos separemus ipsi , Hebr. X, 38. I. Cor. IX. vers. ult.
2. Pet. II, 20. 21. &c. Est ergo justi status imperfectus,
non imperfectione justitiæ , qua prorsus justus est coram
Deo , sed imperfectione adhærentis imbecillitatis , qua
mutabilis non est tantum , sed etiam finaliter amissibilis.
Ignorant conditionem status , & impie eum describunt ,
qui necessariam in omni regenitio negant peccatorum
confessionem , & gratiam contra gratiam explicant , ut
hodie *Anabaptistæ* , *Puritani* , *Pietistæ* ; qui etiam ita valde
impingunt in pietatem , quod confidentibus item mo-
vent de veritate pœnitentiæ , & cum dubia saltim absolu-
tione dimittunt , quos declamatoriæ suæ sanctitatis judi-
cio non satis sanctos reputant. Hæc hostilis gratiæ praxis
publico, proh dolor ! exercitio constat.

REG. IX.

Vult porro Deus ad sanctimoniam vocatum
ante omnia cultui divino , publico privato-
que operam dare , Ex exercitio charitatis absque hy-
pocrisi incumbere.

Hic gratia agit ex revelatione Legis divinæ , & u-
tramque tabulum decalogicam in praxin speculumque
vitæ homini justo proponit. Non cogit libertatis spiri-
tum Lex divina , sed dirigit. Beati Confessores Formula

Con-

Concordie tertium usum Legis docent esse, ut homines jam renati, quibus tamen omnibus multum adhuc carnium adberet, eam ipsam ob causam certam aliquam regulam habeant, ad quam tetem suam vitam formare possint & debeant. Carne igitur peccati adhuc circumdati regeniti, licet Spiritu spontaneo libertatis in bona opera ferantur, qui fructus Spiritus, qui Lex Christi & Lex mentis audit Apostolo, tamen experiuntur apud se etiam, ob inhabitantem Adamum veterem, necessariam esse coactionem legalem, ut subjugetur. Ut igitur secundum salutarem hanc doctrinam non est gratia ductus & veritatis, si Lex negetur esse proponenda homini regenito; si privatæ devotionis affectu in religionis negotio configatur cultus, qui aut verbo Dei non est institutus, aut qui, præter institutum, contra Ecclesiæ receptam laudandamque, methodum, ut necessarius; aut ut multum conferens ad pietatis exercitium, ambitioso uberiori profectuum arbitrio introducitur, qualis est Pietistarum, extra vocationem suam ordinariam conventus pietatis docendæ celebrantium; si Lex jubeatur plus esse urgenda publicis concionibus, quam Evangelii doctrina, cum per hanc detur Spiritus libertatis, Legis verus æmulator; si Legis prædicationi abscribatur sanctitas regeniti, quæ vera non est, nisi operta innocentia Christi, in remissione peccatorum; Ita gratia ductus est, cum ex Lege in formati occupamus libero spiritu agere, quæ sunt cultus divini, & charitatis exhibendæ; cum perfectionem Legis spiritualem introspiciendo nil perfectionis & sanctitatis credimus nostris operibus inesse, cum perpetua compunctione cordis peccata nostra, quorum numerum, ut quotidie nos infestantium hostium, non possumus inire, cum tota civitate Sanctorum continuo deprecamur: *Dimitte nobis, Domine,*

mine, debita nostra. Quam gratiæ praxin a se amoliuntur
 Pietistica persvazione, qui regenitos communioni imbe-
 cillum sanctorum, (convertat, Deus se excipientem !)
 ingerunt , deprecatione peccatorum non indigentes.
 Vid. I. Joh. I, 8. 9. 10.&c. Aliter omnino Augustinus de
Spir. & lit. c. II. Per hoc, quantum mihi videtur, in ea, qvæ
 perficienda est, justitia, multum in hac vita ille profecit, qvi
 quam longe sit a perfectione justitiae, profiendo cognovit. Et de
 medic. pæn. c. I. Ad hoc data est Lex, ut superbo infirmitatem
 suam notam faceret, in firmo pænitentiam suaderet. Infor-
 mationem divini cultus Lege postulati necessariam ex Le-
 gis tabula prima tenemus, ut in p̄cepto primo in *Jehova Elo-
 bim* capiamus notitiam objecti, unius essentiæ, & plurium
 personarum, numero trium distinctarum ; qvarum media,
 qvæ Filius æterni Patris, liberationem gentium cum
 Israeli, totiusqve humanitatis ex captivitate Satanæ in-
 se receptam, eductione populi ex Egypto, nubis colum-
 na, futuræ carnis figura, p̄significavit, ut adorandum
 se sisteret divina majestas, qvomodo per fœdus gratiæ
 in Mediatore adoratori gratiæ aditus tantum pateret.
 Vid. Ephes. II. 12. seqq 13. seqq. Ita in p̄cepto se-
 cundo, tenemus ab accepta agnitione statim sanctificati-
 onem [&] adorationem privatam, qva in solitudine no-
 stra, & intra parietes domus, uti & in spiritu mentis in-
 terno memores sanctitatis & beneficiorum divinorum,
 Nomen sanctissimum non nisi cum devotissima religione
 usurpemus. In tertio tenemus, ut publice profitea-
 mur, coram toto populi cœtu, & una cum illo, qvæ domi,
 & sol, & in spiritu, magnalia Dei celebramus, id unione
 corporum exhibuti debitum servitutis, ad qvod unio-
 ne spirituum una religionis fide adorandum, & coram
 toto mundo exaltandum obligamur. Hoc merito au-
 dit

dit morale tertii præcepti, a ceremoniali Sabbatico oppido
distingendum, ne jugum Legis V. Testamenti Novo
inferamus, contra ac vult *Paulus* Coloss. II. & *Servator*: pse,
dominatum suum in observatione Sabbathi calumniato-
ribus opponens; ubi attendenda *Augustana Confessio*nis
informatio, *Articulo extremo de potestate Ecclesie* si. stica, per
qvam sit ordinatio diei dominici, Paschatis, Pentecostes,
& similium feriarum, & rituum. Nam qvijudicant Ecclesie
auctoritate, (ita subjiciunt, ad obligationem conscientiis
tollendam, ne judicentur necessarii cultus, aut sentiant
se peccare, cum sine offensione aliorum illos violant)
pro sabbatho institutam esse diei dominici observationem, tan-
qvam necessariam, longe errant. Charitatis exercitium pe-
tendum est ex tabula secunda, cuius methodum accura-
tissimam expressit Apostolus I. Tim. I, 3. *Finit revelata*
voluntatis παραγγελίας, est charitas ex puro corde & con-
scientia bona, & fide non simulata.

REG. X.

IN statu hoc certo filiorum Dei vult omne ad-
versum fortiter superari, nec patientem ad-
versa fatigari, ut desinat aut bene agere, aut ma-
lum vincere.

Hic vere militatur, & in his est periculum status,
& exploratio boni Christiani. Sed gratia præsto est mi-
litanti, juxta promissionem Servatoris, Joh. XVI, 33. *Hæc*
locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis; in mundo oppres-
nem habetis; sed confidite, Sapientie, ego vici mundum. Victo-
rem sequentes imposito crucis onere rep. tabunt coro-
nam, 2. Tim. IV, 2. 7. 8. Hoc martyrum campo portæ trium-

C

phi

phi æterni aperiuntur, & ad agni nuptias introeunt ex-
carnificationis mundanæ victores.

REG. XI.

Sic ergo confici vult totum vitæ cursum, & in
mortem usque fideliter teneri, (Deus). Tan-
dem hoc fidei statu morientem vult vita donare
æterna, ut totius ordinationis gratiæ promissus
speratusq;e finis obtineatur.

Hæc alibi prolixius explicantur; videatur nunc
Apoc. III, 10. seq. *Quoniam servasti sermonem tolerantie
meæ, τῆς ὑπομονῆς μου, ego quoque te liberabo ex tempore ten-
tationis, quod venturus est in orbem universum, ad explo-
randos incolas terræ. Si quis vicerit, dabo ei sedere mecum in
throno meo, ut et ego vici, et sedeo cum Patre meo in throno e-
jus. Conf. Hebr. III, 6. 14. &c.*

REG. XI.

Intra, dum viatoris status durat, multa mi-
seria & peccatorum variorum infestatione,
circumventum, monet, [Deus] bortatur, casti-
gat, ut memor gratiae, & maximæ promissionis
semet ipse non deserat, & Spiritum inabitantem
sanctificationis expellat.

Ita cavet statui filiationis gratiosissima gratia, ne
dilectus filius desinat esse talis. Circumventus enim ex-
terne & interne, ne deficiat, indiget affatu, ut constans
sic; ideo monet gratia, ut excitatus agat, hortatur, ne
segue-

segnescat, & palmam relinqvat adversanti, castigat etiam, si quando in opere remissior offendatur. Conferatur Schola Paulina, Epistolis ad Timotheum & Titum, & ad Hebreos XII, i. sqq. Propositus agon nobis constanter est decurrentus. Intueamur in fidei Ducem & perfectorem Iesum,, qui gaudio, sibi proposito, se posito, pertulit crucem, ignoravia ejus contempta, & ad dextram throni Dei consedit. Reputemus igitur, quis ille sit, qui talern sustinuit a peccatoribus adversus se contradictionem, ne animis deficientes fatiscamus. Nondum ad sanguinem resistitis adversus peccatum decertantes ; & oblieti est exhortationis, quae vobis, tanquam filiis loquitur. Fili, mi, ne negligito castigationem Domini, neque deficias animo, eum ab eo argueris &c. Inanes forent, & nullius usus omnes illæ gratiæ, pro statu filiis conservando, sollicitæ molitiones, sin elabi non posset ille, nec, quod tenet bonum, posset amittere. Quæ supra habuimus ; jam perteximus continuationem incessantis gratiæ in statu elapsus filii,

REG. XIII.

Quod sin fiat, carne spiritum superante, mundi illecebris, & diaboli technis vicentibus, non vult [Deus] statu filiationis dejectum interire, & hostibus in rapina manere,

Hoc fieri, quotidiana testatur experientia, & exempla Sanctorum prolapsum satis monstrant. Si enim illa, integerrimis Parentibus primis persuasione Diaboli poterant evenire, qui defectione sua in Satanæ potestatem concedebant, gratia prius habita extorres ; multo magis difficultate peccati adhuc constrictis regenitis ea

C 2 eveni-

evenire possunt, si auscultare velint carni suæ, & mundi suggestionibus. Habent innatam sibi carnem, habent quotidianum, quod per rationem vocationis suæ, & exhibendum in illo charitatis documentum vitare non possunt, mundi commercium. Intus hic, & extus ignita tela in seductionem evibrantur; Cœterum cum status filiorum Dei non possit esse absque illa sui confidentia, quæ nititur in habitatione SS. Trinitatis, unione mystica Christi, agitatione Spiritus moventis, suggestoris bonos motus, & intra pectus fidele pro statu conservando spirantis Joh. XIV, 16. 23. 27. XV, 4. Gal. III, 27. Hebr. III, 14. Joh. XVI, 13. Rom. II, 14. sq. quæri solet, an habeat Diabolus potestatem suggestori immedite malos in pectus, & phantasiam hominis regeniti cogitationes? Et respondendum esse ex vera status exploratione omnino censemus, ordinarie eam potestatem Satanam non habere; quæ enim esset confidentia status, si eam haberet, quotidie, & sine intermissione exercendam? Rarisime autem & extra ordinem in confusionem Spiritus maligni, & ad firmitudinem fidelis ostendendam, ejusmodi suggestionem posse fieri non negamus, quæ explicavimus uberiorius Commentariolo quodam de *Turbulis Phantasie*, quo remittimus plura desiderantem. Contingit crebro nihilominus, tentatum temptationibus succumbere. Sed gratia, licet statu ejecta, non cessat eum revocare. Insinuat conversionem tempore opportuno, & revertere vult aversum, eversumque restitui Hebr. III, 7. Psalm. IV, 16. XCV, 8.

REG.

INde vario modo, & varia opera succursum
vult (Deus) averso, & morte nova correpto. Ul-
titur opera non tantum ministrantium verbo,
sed & aliorum fidelium, & revocat ovem deer-
rantem non semel tantum, sed iterum, sed ter-
tium, sed quartum, sed quintum; imo semper re-
vocat, quousque vitam indulget, & civem regni
tota ordinatione sua & apparatu ad cœlestia ten-
dere jussum, in regno gratiæ tolerat.

Loquimur de peccatore in civitate regni ex statu
gratiæ elapso, quoties Deus eum revocet deerrantem
extra tramitem justitiae, & civitatis Spiritualis carceres;
Habentne tempus gratiæ certo limite definitum, quo
prætermisso cesseret in æternum misericordia sæpius re-
pulsa, licet vita indulgeatur? An potius indulgentia vi-
tae promittat repetitionem gratiæ usque ad obitum, de
termino naturaliter fixo, an per violentiam obveniat?
Affirmationem, questionis ultimæ per regulam illam
probamus, nixam veritate misericordiæ citra mensuram
in omnem peccatorem, nullo excepto, perpetim exun-
dantis, Ez. XLIX. & XXXIII. Agnus occisus ab origine
mundi pro singulis incolis ejus, totum gratiæ regnum,
citra temporum discrimen, valore meriti sui ditavit, ut
ab ejus gratia vitam caperent, quicunque eum vel de-
mum in fine vita fideliter reciperent; *Iesus Christus heri,
hodie, idem & in secula* Hebr. XIII, 8. ratione scilicet usus
Spiritualis, & quoad viam salutis, salutis porta nunquam

clausa. Conf. Joh. I, 9. 29. etiam in agone suspicientes ser-
 pentem suspensum morti eripiebantur, Joh. III. 16. sq.
 Num. XXI, 9. ex morte suscitat Jesus, etiam spirituali.
 Conf. Joh. XII, 32 sqq. qvæ alibi fuisus explicavimus in
 meditatione Carolina de termino gratiæ. Varium, nunquam
 vocare cessantis gratiæ, modum, glotantis continuo
 gallinæ instar, expressit Augustinus in Psalm. CII. consid-
 eratione titulorum gratiæ, qvibus affulget peccatoribus
 Deus; Miserator & misericors Dominus, longanimus, & mul-
 tæ misericordia. Quid inquit, tam longanimum? Quid tam
 multum in misericordia? Peccatur & vivitur; accedunt pec-
 cata; augetur vita; blasphematur quotidie, & facit solem
 suum oriri super bonos & malos. Concessioni vitæ, qua
 peccata angentur, conjungit B. Präful misericor-
 diae exortum; uti sol non interit malis suo ordine,
 nec pluvia cœlitus descendere expectantibus recusat;
 quid ergo, Deus facit? Vocat undique ad correctionem,
 vocat undique ad pœnitentiam, vocat beneficiis cre-
 aturae, vocat impertiendo tempus vivendi; vocat per le-
 gitem, vocat per tractatorem; vocat per intimam cogi-
 tationem; vocat per flagellum correptionis; vocat per misé-
 ricordiam consolationis. Longanimis, & multæ misericor-
 diae. Sed observa, ne longitudine misericordia Dei male uten-
 do, tu tibi thesaurizes, quod ait Apostolus, iram in die iræ,
 & revelationis justi judicii. Cum dies iræ judicialis præ-
 sto est, gratiæ haud compos amplius peccator est; de-
 ficit misericordia thesaurus, cum thesaurus depluit ex-
 tremæ vindictæ. vid. 2. Thess. I. & II, ubi describitur, quod
 judicio æterno dighi sint, qui ignorent Deum & Evange-
 lium Jesu Christi, & contenta fide veritatis receperunt men-
 dacium in injustitia. At in regno gratiæ regni thesaurus
 non prohibetur aditum, ipsorum gratia quotidie aper-
 tus.

gus. Esa. XLIII, 25. XLIV, 22. Mich. VII, 18. 1. Joh. II, 1. 2. Hebr. IX, 24. Gal. III, 13. &c. Pellicitur peccator protreve exerrans, ut redeat ad sinum amoris patientissimum. Misericors Samaritanus suscepitum jumento semimortuum, & solo desiderio, jam in lucta mortis, vix anhelantem, oleo demulcet, & vino recreat; divisori eum etiam curatissime commendat. Hoc misericordiae exemplum in hostes, & mortuis accensendos, summe impiorum, exertum a nobis seria imitatione cupit, se ipsum haud obscure misericordis Samaritani habitu proponens Jesus noster, qui venit in mundum ut salvaret, quod erat peritum. Habent igitur negotium, constitutionibus regni & Regis gratiae ita volentibus, restituendi in gratiam pro civili viatoris: 1. *Omnes homines*, qui proximorum classe possunt censeri. 2. *Domestici fidei* quorum erga singulos copiosa debet esse charitatis demonstratio, ut qui maximi videntur peccatores, cum maxima tolerantia, intercesione, & inclamatione, ad penitentiam perveniant, Gal. VI, 1. 3. *Ministri verbi*, qui legatione Christi funguntur ad reconciliandum Deo peccato-rem, verbo, exemplo, opere, 2. Cor. V, 20. sqq. VI, 3. sqq. VII, 9. sqq. 4. *Tota credentium communio*, seu Ecclesiæ veræ totus cœtus, qui & supplicatione pro omnibus impiis, & severæ disciplinæ usu in ejiciendis e gremio suo contumacibus, & Satanæ tradendis, officio defungitur demandato charitatis, ut corrigantur, & reducantur illi, non ut pereant. 2. Tim. II, 24. 2. Thess. III 14. Quæ praxis Apostolorum fuit ab Orthodoxis Patribus Novationis copiosissime opposita. Exempla varia vindictæ divinae passim in mundo sese offerentia concionantur impiis de rigore legis, nisi resipiscant. Exempla autem beneficiorum inenarrabilium divinorum, piis & impiis præstitorum, quid aliud
 pro-

proloquntur, qvam Dei gratia esse quærendam, & ab optimo Domino, & patre misericordiarum omnia bona esse speranda. 6. Certe est etiam a gratia Dei, qvod peccator intra animam suam stimulis conscientiae compungitur ; qvod memoriam tenet status amissi ; qvod sui Redemptoris, qvod Sacramentorum suæ animæ bonodatorum & usurpatorum non prorsus dememinit ; intus & extus est a gratia circumventus indesinenter instante, ut revertatur, dum vitali aura fruitur.

Hanc gratiae curam non evertunt prædicata de hominibus excæatio, induratio, sensus reprobis, cum occupant peccatorem, qvæ voluntati judiciariæ adscribuntur, sed secundum permissionem, absqve qva nil posset in homine tale fieri, qvod in eo agit Diabolus ; conf. Act. XIV, 16. XVII, 30. 1. Cor. X, 13. Jac. I, 13. 2. Tim. II, 25. 26 2. Thess. II, II. Trabuntur enim captivi Satanae se addixerunt obsequiis, nulli admonitio eos ad mentem saniorrem queat reducere, sed ab uno peccato in aliud labantur, donec in precipitum voraginem damnationis ruant. Ita B. Aeg. Hunnius de Juda proditore differit in c. p. XIII. Joh. fol. 329. In permissione autem judiciariæ voluntatis non cessat omnis gratia, dum regnum est gratiae, non cesare potest gratia, licet exturbata sit illo modo, quo est status filiationis, uniens, inhabitans, confortans, custodiens, proxime astans, unde Deus dicitur avertisse faciem ; esse proculi ; non amplius esse propitius ; miserendofat gari. Qvæ omnia, irarum ostensione, legales sunt comminationes futurae vindictæ, nisi correctio inde eveniat, & ita regnum gratiae juvant ; Cum autem conjunguntur ipsi in gruenti vindictæ, judiciariæ voluntatis sunt, misericordia prorsus alienata, gloria autem punitionis æternæ se

se manifestante , ut in exemplo Judæ proditoris. Vid.
 2. Thess. I, 8. 9. 10. 11. sqq. Juvant certe regnum gratiæ judicia illa futuræ vindictæ præmissa , ut Deus hic dicatur a statu gratiæ inhabitantis aversus , & procul absens a peccatore , duris impulsibus revocare, ob receptum pastoralē amorem , exerrantes oves procul disfitis & periculosisimis viis , in latronum , ferarumque speluncis serio investigans , & clangore forti excitans, ut reducantur. Qui jam animam posuit pro ovibus, qui pedum verbi & facti gratiōsi, ut sceptrum regni , non ejicit manibus, nonne discursitatem ubique dimitte gratiam ad reqvirendum gregem , in perditione sua vagabundum ? Compendiose hæc expressit B. Dannhauerus in Hodosoph. p. 1267. Agit divinis Spiritus per conciones legales & Evangelicas , tanquam ministerium Spiritus vivificantis , cuius vis est ζωγεντα. Accedit acies concionum legalium , sensus afflictionum. Etiam beneficia sunt arcana incitamenta ad pœnitentiam. Adde exaggerationes peccati Satanicas in hominis salutem per accidens divinitus versas.

REG. XVIII.

Qui emanent , multum revocati, sua culpa emant, refractaria obstinatione omnem revocationis inclinationem fastidientes & proterve respuentes.

Sed & hic dolet amor, cum ingruit, vel denunciata , vel ex improviso, dudum merita, pœna. Inclamat adhuc, cum momentum super est, ad pœnitentiam recipiendam, vel vita beneficiis largissimis contestans, ut in Pharaone & similibus , gratiam se malle & veniam, quam mortem & pœnam irrogare. Ingerit certe animo impiorum gratiōsam suam voluntatem , invitamque in immorigeros punitionem, frequenti procrastinatione dilatam, ut experientia historiæ priscæ loquitur, & quotidianæ. Nec deest realis concio Legis interna conscientiæ ad sustinendam infallibilem vindictam proposita, nisi contritione cordis excipiatur

D

satis.

satisfactio Redemptoris. Auctor de cardinalibus Christi operis
 bus vere h̄c, & stylo africano, eleganter declarat ; Filius hominis
 deputatus est inter impios, qvorum alter assumptus, alter reprobatus est;
 ut daretur exemplum, & forma indissolubilis manens in posteros, qvia
 nec in ultimus Dei clementia p̄nitentes excludit, nec ulla hora est, cui
 compunctionis districta occurrit, nec eos, qui in vita sua qvocunq; articulo
 temporis veri sunt judices, iterum judicari, qvia cum Iudicis & tortoris
 vices non parcens peccator assumit, semet ipsum persequens, dum confes-
 sionem confusione honorat, holocausti hujus incensio in conspectu Dei ve-
 niam impeirat. Neque enim his in id ipsum judicat Deus, sed imp̄nitent-
 tes ipse judicat & damnat, p̄nitentes vero, qvia à seipso suscipit ju-
 dicatos, absolvit, neque judicio, quod p̄nitentia humanae severitas pro-
 tulit, aliquid justitia cœlestis apponit. Judicati sunt Egyptii, cum in
 redeuntibus super se maris fluctibus involverentur; judicati Sodomites,
 cum subverbis eorum urbibus flammis sulphureis cremarentur; sed in iis-
 dem subversionibus gererent p̄nitentes, temporali p̄na non succederet
 æternalis, sed esset eis pro remedio supplicium, & pro absolutione tormentum,
 nec contritos corde æternum contereret judicium. Sic in cruce latro
 confitens, non tantum indulgentiam meruit, sed Christi familiaris effe-
 ctus, præmissus est in paradisum, & factus est particeps regni, factus per
 confessionem collega martyrii. Habent in his exemplis legales con-
 fessionari, quod in praxin suam deducant, cum verbis diffi-
 dunt confitentium, & vel absolutionem peccatorum sensu
 ambiguo, & sub voto proferunt, aut ut imp̄nitentibus, suo
 judicio, prorsus negant, qvi qve communionem Sacrae Cœnæ
 subterfugiunt, ob periculum intermixtorum indigne mandu-
 cantium, semet omnium dignissimos existimantes, sententia
 dubio procul a fidei vera justificatione, qvæ remissione pec-
 catorum constant, prorsus abhorrente. Nonne sunt interfe-
 stores illi gratiæ in peccatores p̄nitentiam professos omnes
 excurrentis ? Et nonne Salvator imp̄nitentem Judam saluta-
 ri epulo cum fidelibus exceptit, ut vel potentia sacri convivii
 degustata amore convivatoris percelleretur, qvem beneficio-
 rum stupendorum memoria ab intento scelere non poterat ab-
 sterrere. Tantum est gratiam Dei, pro peccatorum salute diu
 noctuq; excubantem, rite considerare. Certe & contumaces
 qvi externo matris spiritualis gremio tolerantur, verbo & vario
 opere amoris circumit gratia, ut restituat eos in integrum, dum
 vita hæret, non cessans stimulare. Paulus 1. Cor. X, 29.30. S. san-
 Etiam

Etiam Domini cœnam indignis etiam frugiferam ad salutem dōget esse, cum moībo corporis infestati resipiscentiam discunt, & animam ab extrema judicij liberant condemnatione. Ergo & indignis potest cœna præberi, tum spe charitatis, qvæ indignum non esse autumat, cui præbetur, tum confidentia judicij castigatorii, indignitatem consequentis.

REG. XIX.

Pœna judiciaria consequentis voluntatis divina stricte dicta, est ultimi judicij, & aeterna; præsentitur tamen in exemplis, etiam in regno gratiæ punitorum. Et colludit hie gratia suorū regno, ad capiendum horrorem suppliciorum, qvibus cupit ereptum omnem sui regni implicitum affinemq; civem.

Peculiarī capite hæc discussi in meditacione, qvam dixi Carolinam, qva inter alia argumenta, ad elidendum termini peremptoriī figmentum hoc multum lucis credidi allaturum, si ostendatur, voluntatem consequentem judiciariam non esse regni gratiæ, sed gloriæ, quo demum diserta æternaq; divisione, piorum & impiorum, qui in regni gratiæ confusa erant multitudo, constabit, qvinam voluntatis antecedentis bonum in regno gratiæ bona fide receperint, qvinam proterve ad finem vitæ repudiaverint; Dan. VII, 18. XII, 2. Esa. LXVI, 14. Malach. III, 18. Præsentitur tamen & in exemplis iræ divinæ, ut se providentia divina manifestat in regno gratiæ judicium, pœna impiorum incorrigibilium futuram damnationem illorum præ se ferente, Ezech. VII, 27. Exod XI, 7. videantur exempla superius allata. Hinc largo dignoscitur documento, finiente regno gratiæ demum gratiam, desinere, nondum finiente, non cessare. ut qvicquid ex judiciis consequentis voluntatis participat, aut esse de rigore judicij extremi, & ferire cum morte ipsa eam perpetientes, aut venire ab animo gratioſo Patris cœlestis, qvi in communi cum impiis pœna resipiscentibus per eam largitur correctionem. Conf. declaratio regulæ præcedentis.

REG. XX.

Consecratum dictorum hoc certum esto. Cum gratia status fidelis deserit delinqventem, ut cesset in illo justitia fidei & sanctificatio, non tamen cessat gratia revocans, restitutionem amissæ vario modo ingeminans repetensq; Nec datur exceptio, gravissimus licet fuerit, & creberrime relapsus peccator.

D 2

Qvo^r

Qvomodo cessabit in regno gratiæ, pro qva ad finem regni erga omnem dilectum redemptumque populum Rex ipse in gloria sua incessanter intercedit? Hebr. VII, 25. 1. Joh. II, 1. meritum sanguinis victimæ immaculatæ pro omni stysi peccatore non tacet intercesione apud reconciliatum Patrem, dum clamare de pœnitentia discipit viator. B.D. Mullerus Rostochiensis Theologus, ad Deut. XXXIII, 3. in Trähnen und Trost-Quelle p. 846. ita differit, vrie bat er doch die Leute so lieb, spricht Moses; ich spreche, wie bat er doch die Sünder so lieb! Wie freuet er sich der gute Hirte, der sein Leben hat gegeben für seine Schafe, wenn sich sein verlobnes Schäflein wiederfinden lässt, wie ist er froh, er der ewige Hirte, wenn sein verlorner Sohn umkehret, und Busse thut? Darum las dich armer Sünder, durch seine Strenigkeit nicht schrecken, sondern durch den Magnet seiner Freundlichkeit gezogen, komme zu ihm. Er ist noch heute ein solcher Sünder Freund, wie er vormahls gewesen ist, du magst gleich mit seinem verlohrnen Sohn, all dem Substantz verzebret, und dem Teuffel die Säu gebütet, gesoffen, gefressen, gehuhret, gebubtet habet; Du magst gleich mit dem Zöllner ein Ertzschinder und Wucherer; mit der Sünderin eine offenbare Hure; mit Petro ein Gotteslästerer, Flucher, und Verleugner; mit dem Scheicher in Rauber und Mörder, in Sodom und Gomorra selbst gewesen seyn: Kehre nur wieder, und komm zu Jesu so wirst du bey ihm finden, was du suchest die Vergebung deiner Sünden. Qva misericordiæ denunciatione non datur licentia peccandi viatori, aut secure vivendi, & pœnitentiam ad extremum differendi, sed veritas gratiæ suo regno conformis prædicatur, non tacito iudicio vindictæ, qvod manet proter vos morososqve gratiæ contemptores.

REG. XXI.

Peccator in Spiritum Sanctum vera habitus sui forma consideratus non est amplius civis regni gratiæ, licet externa vita commercio inter cives offendatur. Ad quem nec gratiæ prædicatione, nec comminationes future vindictæ corrigendi statis ergo referenda sunt. Nec præter hunc alias peccator ante mortis fatalia peremptorie dici potest a gratia excidisse.

Non detrectant Theologi prorsus vocare, aut usurpare terminum peremptorium, qui cessationem gratiosæ invitationis æternam importat; sed gratiæ regno inferendum esse pernegant; quia in regno gratiæ, dum vita viatori durat, non cessat invitatio gratiola, ut saepius jam docuimus. Eximendum igitur existimamus peccatorem in Spiritum S. statui nudi viatoris, cum eolabore peccato, qvod irremissibile docetur sua malitia, & participatio

• 03 (29) •

cipatione status, cui nec in futuris seculis nec in præsentibus est remissio, id est, cui venia & liberatio non potest esse in tempore gratiæ, uti non est in seculo futuro, pœnam æternam patientibus in gehenna. Quemadmodum ex inferno non est redemptio, per vindictam æternam ; ita ex peccato in Spiritum S. nulla liberatio, per rationem status gehennalis. Conferantur dicta. Matth. XII, 32. Hebr. VI, 4. X, 18. I. Thess. II, 16. Perit igitur peccator in Spiritum Sanctum non per terminum gratiæ Peremptorium in statu viatoris, sed per terminum gloriosæ vindictæ, II. Thess. I, 8. 9. 10. in ipso jam, dum viator reputatur, in choatae ; videantur plura huc pertinentia, in *Meditatione nostra Carolina*. Tractatur quidem externo schemate peccator a civibus gratiæ ut civis, sed ut ab ignorantibus statum ejus, ipso etiam omnem gratiam fugiente & fastidente ; Cujus Deus in æternum non amplius miseretur. Viator verus, vero viæ suæ in salutem statu, plurima divinæ bonitatis gratia abundat, nunquam desertus, aut ut civis sanctæ communionis ; aut ut jussus adire civitatem ; aut ut per peccatum (remisibile) jure civitatis elapsus, & ad id, gratia volente, restituendus.

REG. XXII.


Adversatur demum toti statui regni gratiæ confectus confectus que terminus gratiæ peremptorius.

Remitteremus nos hic ad Dominos Theologos, qui Stengerianæ phantasie in celeberrimis Academiis & Ministeriis : & qui nuper admodum Bössiane opinioni contradixerunt, in Facultatum disertis Responsis, Lipsiensi, Wittebergensi, Rostochiensi, inque scriptis aliis Dn. D. Neumann, Dominorum Gedanensium, de termino gratiæ peremptorio ; in concione Dn. D. Ittigi, Superintendentis & Theologi Lipsiensis multa eruditionis fama, meritisque in Ecclesiam orthodoxam excellentissimis dudum evecti ; & plures alios, qui calamus in errorem noxiū perhibentur stringere. Nos hic in coronide dissertationis hujus inauguralis monstrabimus, quid causæ sit, quod terminum illum celebrium aliorum Doctorum usui non abrogemus, ejusque sensum in scriptis illorum propositam inventum non redarguamus ? Scilicet multum attinet novisse, si quidam uno loquendi modo utantur, quo animo dicant, & in quem finem ; ne diversa sentientes, idem credantur eadem loquendi formula tenuisse. Quidni condonaremus Theologis

gis qvibusdam nostræ Ecclesiæ, si offendantur privata opinione tenuisse, Deum præfracte contumacibus, & incorrigibilibus, ante finem sua vita peremptorium statuisse condemnationis limitem, ultra quam nulla pœnitentia possit pertingere. Abstinuissent illi a fundamentis erroris termino substratis, qvibus fidei analogia illæsa perstirisset. At *Bosiana hypothesis* his nititur fulcris, qvæ fidei sinceram doctrinam admodum convellunt; 1. *Pietismi propagatione*, cui solenne est, & domesticum prorsus, excusare ipsam hæresin, omnemq; novam opinionem, qvæ a libertate Spiritus prognata convictionem habeat conscientiæ, citra periculum veritatis; qvicquid Sanctorum communio, libri Symbolici, & Doctores Orthodoxi in contrario sentiant. 2. *Opinione rigorosa sanctitatis legalis*, qva excitandi non tantum sint e socordia carnis animi torpentes, & mundo dediti; sed ipsi regeniti sint animandi & provehendi ad ejusmodi apicem justitiae inhærentis, ex qva elapsus ob peccata non posit metui. 3. *Charitate confraternitatis spiritualis*, quo necessario consentire dicendi sint veritati, qvi societate clancularia continentur, licet in plurimis judicentur inter se dissentire; qvi dissensus confratribus sit condonandus. 4. *Praxipietatis nava*, qva judicatur antiquandum esse, qvicquid de gratia Dei & misericordia concionantur Doctores, nisi plus coucionentur ex lege, qvam Evangelio, immo legem solam ejusque vindictam pessimo mundo in conversionem esse prædicandam, quo terminus gratiæ fatalis caveatur, qvi studio sanctitatis caveatur, licet, ut numeri insanire inceperint quidam, ignoretur Christus, cuius meritum & insciis possit applicari Christo operante. Provoco ad diam experientiam; & deplorari non satis posse credo, qvam miseram faciant fanatici hi Doctores suam, cui præsunt, communem, *Böfiano* hoc, tam profanis hypothesis, fulto errore; Taceo! *Syncretismum* cum Photinianis Reformatisq; hic occultari, palliari Novatianismum, & parum abesse, qvin peremptorio termino *Libertinismus*, & *Atheismus* securitati carnali persvadeatur. Si enim carnaliter diu viventi homini gratia pœnitentiarum decreto fatali denegatur, qvid attinet mutari vitam in melius, frustraneo mutationis conatu? Vivamus igitur dum sinunt fata secundum dictamen hilaris mundi, nec futura qvicquam attendamus, d præsentis concessis deliciis utendo, & genio prorsus indulgendo. Ita grec Epicuri differit Sap. II, 16.

SOLI DEO GLORIA!





Ung VI 14



Vd18

sb

Vd17 Z



Farbkarte #13



I. N. J.
DUCTUS
VERITATIS,

*Ad
Declarandam incessantem di-
vine gratiae invitationem,
Dum in via est peccator, respiratqve.*

SUB PRÆSIDIO

**D. PHILIPPI LUDOVICI
HANNEKENII,**

Profess. & Consist. Elect. Assessoris
DISPUTATIONE INAUGURALI

*AD
IMPETRANDOS HONORES ACADEMICOS*

IN THEOLOGIA SUMMOS

In Cathedram producti & defensi

A
DAVIDE ANDR. TEVERLEIN,

Alteburg. Misnico.

Pastor. Primar. Eccles. Caloviensis Inf. Lusat.

& Schol. Inspectore.

Die d. XI. Oct. M DCC.

Recusa.

complet 1